

« Deus novit omnia quae sunt in homine, ob talis
« Judicis majestatem, ob talis testis inflexibilem
« veritatem, ipse enim iudex et testis, ob talis do-
« minatoris in corde habitantis sanctitatem, et
« immunditatum ab eo odibilitatem, mundi enim
« sunt oculi tui, ne videris malum, et respicere ad
« iniquitatem non poteris, necesse est ut homines

« mudent corda sua. » Unde Boetius, *lib. de Consol. Phil.*, *lib. V*, ait : « Magna vobis est, si dissimulare
« non vultis, necessitas indicta probitatis, cum
« ante oculos agitis Judicis cuncta cernentis, propter
« quod ait Propheta : *Providebam Donatum in
« conspectu meo semper.* »

FERIA TERTIA POST QUARTAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. VII, VERS. 14

14. Jam die festo mediante ascendit Jesus in templum, et docebat.
15. Et mirabantur Judæi dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ?
16. Respondit eis Jesus, et dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.
17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de doctrina utrum ex Deo sit, an ergo a meipso loquar.
18. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit, qui autem quaerit gloriam ejus, qui misit eum, verax est, et iustitia in illo non est.
19. Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem ?
20. Quid me queritis interficere ? Respondit turba, et dixit : Dæmonium habes ; quis te quaerit interficere ?
21. Respondit Jesus, et dixit eis : Unum opus feci, et omnes miramini.
22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moysse est, sed ex Patribus et in sabbato circumciditis hominem.
23. Si circumcisionem accepit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysis, mihi indigna mihi, quia totum hominem sanum feci in sabbato.
24. Nolite judicare secundum faciem, sed justum iudicium judicare.
25. Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis : Nonne hic est, quem quaerunt interficere ?
26. Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt : Numquid vere cognoverunt Principes, quia hic est Christus ?
27. Sed hunc scimus, unde sit : Christus autem cum venerit, nemo scit, unde scit.
28. Clamabat ergo Jesus in templo docens, et dicens : Et me scitis, et unde sim, scitis, et a meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis.
29. Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit.
30. Quaerebant ergo eum apprehendere, et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.
31. De turba autem multi crediderunt in eum.

VERSUS 14.

Jam die festo mediante ascendit Jesus in templum, et docebat.

1. — Sciendum, quod ut in principio hujus capituli dicitur, Jerosolymis festum agebatur tabernaculorum, quod septem dies integros durabat, Judæi vero adversus eum exasperati, machinabantur mortem ipsius. Cumque a cognatis, ut ad eandem se solemnitatem conferret, rogaretur, eis acquiescere noluit, sed dixit : *Vos ascendite ad diem festum hunc,*

ergo autem non ascendam; et tamen licet non aperte et manifeste, bene tamen se eo recepit occulte, et per septem continnos dies ibidem substitit occultus : « *Et jam die festo mediante ascendit in templum,* » id est, » inquit S. Thomas, « cum illius festi tot dies remansissent, quot effluerant ; unde cum « septem diebus agebatur festum, dicitur hoc fuisse « quarto die ; et quidem in hoc, quod se occultave- « rat, humanitatis Christi est incidium, et nostrae « virtutis documentum. »

2. — Salmeron, *tom. VIII, tr. xxxiv*, hanc dilatio-

In templum.

nem ad mitigandos Judæorum animos ordinatam fuisse existimat, ut amplio rem haberet campum et occasione sedatis ipsorum mentibus Evangelicam imprimendi doctrinam. Unde Theophylactus ait : « Ascendit quando insaniam illorum verisimile erat « mitigatam esse. » Lucas Brugensis scribit : « Inter- « dum cedere periculis licet, sed nulla bene agendi « opportunitas omitti vel negligi debet ; docebat « populum, cum Sacerdotes et Scribe deessent « officio. » Lyranus pariter monet : « Propter ho- « minum verba, doctrina salutis non est omittenda. » S. Augustinus, *tract. xxix in Joan.*, ait : « Illud, ut « lateret, erat causa exempli, hoc potestatis. » Porro qualem illud exemplum fuerit, quod nobis post se relinquere voluit, Salmeron hisce verbis exponit : « Docens nos suo exemplo, ut cum volumus « proficere in proximis, nequaquam in fervore « animi concitati, aut affectu peccati, sed eo decli- « nante adeamus, ut moris est Dei facere, qui venit « ad auram post meridiem, ut corrigeret primum « parentem. »

3. — Idem quoque Auctor considerat, quod tamen saluator imminetia sibi prævídisset pericula, intermittere tamen nequaquam voluerit, quin se in ea festivitatem et videndum et audiendum exhiberet : « Ut indicet mandato Dei optemperandum absque « timore mortis ; docet deinde suo exemplo Pasto- « res, ne tempore periculi doctrinam salutarem « populo subtrahant ; nam bonus Pastor animam « suam ponit pro ovibus suis. »

4. — Porro si per festivitatem, humanam velimus prosperitatem intelligere, dicendum videtur, quod tunc Jesus Jerosolymam concesserit, ibique suam presentiam communicavit, quando festivitas in declinatione erat, ad denotandum quod quando deficiunt et occidunt felicitates terrene, tunc ipse vel maxime in cordibus nostris ascendat ; at vero S. Antonius de Padua ad hoc se reflectit, *Serm. in hac fer.*, quod Redemptor noster ad templum ascenderit, quando quaerebatur ad mortem, idque ad insigne documentum nostrum : « Ut daret nobis exemplum, « quod imminet adversitate debemus ad Deum « recurrere. »

Ascendit.

5. — S. Cyrillus Alexandrinus, *lib. IV in Joan.*, ait : « Non dixit Evangelista Christum ingressum « fuisse in templum, sed ascendisse ; ardua enim « res est atque sublimis loca ingredi sancta, et do- « cendi munus recte suscipere. » In Jeremia sublime exprimitur illorum encomium, qui ad animas convertendas divinum annuntiant verbum : *Si separaveris pretiosum a vili*, inquit Deus, *quasi os meum eris*; etenim Veritas ipsamet in S. Luca, x, 16, dicit : *Qui vos audit, me audit.*

6. — S. Bonaventura ait : « Non in palatium, « vel in forum ; et docebat, non silebat veritatem ; » siquidem ad eum finem destinatae sunt Ecclesiae, ut eterne fidei nostrae veritates, mediante predicatione, fidelium cordibus imprimantur, ut animae reducantur ad penitentiam, viage sternatur ad gloriam. « Patet hic exemplum Prelatis et Doctoribus, » inquit S. Bonaventura, « ascendendi in templum et « docendi ibidem exemplo B. Ambrosii, qui omni « die Dominico in publico verbum Dei tractabat. »

7. — S. Antonius Paduanus moralitatem quandam hoc loco adducit nobis Christianis in solemnitatibus occurrentibus perutilem : « Sicut Christus « imminetibus solemnitatibus templum corporali- « ter ascendit, sic inuit, quod nos semper debeamus per devotionem ascendere in Deum, singu- « lariter tamen in festis aliquibus solum divino « cultui vacare debemus. »

Et docebat.

8. — Poterat quidem Saluator noster sine comitatu in templum ascendere et sine aliqua turbarum congregatione privatim, non vero in publico docere, maxime cum Sacerdotum mortem sibi machinantium perspexit sibi haberet furorem ; verumtamen, ut idem S. Antonius scribit, in publico se manifestare voluit : « Ad ostendendam volunta- « riam oblationem, qua tempore passionis suae « conversabatur maxime in Jerusalem et in tem- « plo, ut exhiberet se persecutoribus. »

9. — Sapiens de opportunitate tractans, quam ad Dei verbum annuntiandum quaerere debemus, hanc adducit similitudinem, *Prov.*, *xxv, 1* : *Mela aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Porro quatuor diebus post inchoatam festivitatem predicationem suam distulit, ut tanto majori cum aviditate deinceps auscultaretur. « Tar- « dius venit, » inquit Salmeron, « ut diuturnius « expectatus, avidus audiretur et majori cum « fructu. » Lyranus ait : « Docebat populum, qui « diebus praeteritis intentus fuerat sacrificiis et « oblationibus consuetis, et per hoc docuit prædi- « catores Evangelii, ut secundum dictam Sapientis, « *tempus tacendi considerent et tempus loquendi.* » S. Thomas pariter rationem reddit cur predicationem suam in medium usque festivitatis distulerit : « Quia in principio festi omnes magis attenti sunt « his, quae festi sunt, boni ad cultum Dei, alii ad « vanitates et lucra ; sed circa medium festi, his « quae festi sunt, expeditis, magis parati sunt ad « doctrinam. »

10. — Idem quoque S. Doctor aliam affert rationem, dicitque id ab eo factum esse propter mysterium, quia verissimum semper est quod « *Omnia in figura contingebant illis.* Congruit or-

« dini doctrinae Christi, quia non in fine mundi, « nec in principio, sed in medio tempore venit « instruere homines de regno Dei. » *Abac.*, iii, 2 : *In medio annorum notam facies.*

11. — S. Joannes quidem non declarat nobis quale Redemptoris nostri thema, vel quodnam predicationis ejus subjectum fuerit, sed solum dicit : *Docebat.* « Doctrinam tamen insignem fuisse « insinuat, » inquit Toletus, « dum Judaeos, qui « eum insequerentur, et ut occiderent querebant, « et in admirationem conversos esse narrat. »

12. — Advertendum est quod S. Evangelista Christum in templum ascendisse, ibique populum docuisse, constanter asserat, ad denotandum finem, quem habere debemus, dum ad sacra nos loca recipimus, nimirum ad verbum Dei audiendum, ad profectum spirituale promovendum, non vero propter curiositatem, vel conversationem, vel ob alios similes fines terrenos : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascat, ubi cubet in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum;* ecce quales erant hujus electae animae devotae intentiones : querebat enim in domum Dei oculum suum dirigere, ibidemque pacem Angelorum, animarum cibum et nutrimentum videre, sequi inibi in sancto quodam secessu et solitudine orationi vacare, non vero oculis hinc inde vagari, vel cum sodalibus fabulando circulo facere, etc. *Ne vagari incipiam.*

VERSUS 15.

Et mirabantur Judaei dicentes : Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?

Et mirabantur Judaei.

1. — S. Augustinus scribit : « Omnes quidem, « quantum arbitror mirabantur, sed non omnes « convertebantur, » reddique rationem, unde haec fuerit admiratio oborta : « Quia multi noverant, « ubi natus, quemadmodum fuerit educatus, nunquam « quam eum viderant literas discerentem ; » videri quidem poterat conveniens esse, quod sicut secundum usum aliorum voluit educari, ita quoque secundum stylium, omnium aliorum studiis operam dare debuerit. Sapientia tamen incarnata ab aliis doceri nolit, non tam propter miraculum, quam propter mysterium, quod a Luca Brugensi hisce verbis tangitur : « Ideo Filium suum ex mechanica « potius officina prodire voluit caelestis Pater, quam « ex Scribarum scholis, quo magis conspicua esset « Evangelii origo, ne quis in terris fabricatum putaret, vel hominem quempiam fingere ejus auctorem. »

2. — Porro admirationem istorum Rupertus Abbas hisce verbis exprimit : « Admiratio Judaica « pœnalis et impatiens ad audiendum, detrahentis « invidiae livor est ; qua urgente dum sapientiae

« docentis nequeunt obviare, saltem ex praesump- « tione magisterii nituntur personam illius pro- « mere. » Cui consonat, quod de hac admiratione Chrysostomus in haec verba scribit : « Videns eorum « plenam malitiae admirationem? » Non admirabantur veritatem doctrinae Christi, ut inde proficerent, et ut ipsum in debito respectu et reverentia haberent ; sed modum, quo eam doctrinam « acquisierit, » inquit Lucas Brugensis. Sed quoniam fine admirabantur? « Ut dum modum insuetum et incognitum ostendunt, doctrinam quoque « ipsam suspectam reddant, ut inventum commentumque humanum ipsius Jesu, invidi non solum, « sed malitiosi. »

Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?

3. — Nimirum Christum filium Joseph viri pauperis esse, ejusque sudoribus sustentari, et consequenter una cum ipso laboribus mechanicis victum sibi querere credebant. Putabatur filius fabri, qui, ut S. Thomas ait, « de labore suo vivens non insistet studio litterarum, sed potius operi manuali, « secundum illud Psalmi lxxxvii, 46 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* » Lucas Brugensis dictionem illam, *Hic*, ponderat : « Hic Galileus, faber, et fabri filius, qua sapientia replebitur, qui tenet aratrum? *Ezech.*, xxxviii, 26 : « *Stimulo boves agitat, et conversatur in operibus eorum.* » Etenim verisimile est Salvatorem nostrum S. Josephum nutriri suum in laboribus adjuvando, aratra nonnunquam fabricasse, ideoque horum similitudine aliquando usum fuisse, damna eorum denotare volens, qui in bene coeptis non perseverant : *Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei;* quoniam igitur modo inter mechanicos hosce labores sacram Scripturam et caelestem theologiam discere aut explicare poterat? Idem Lucas Brugensis ait : « Jamdiu quaesierant, quod Jesus a puero egisset ; « qualium hominum consortio usus fuisset, et « caetera eo pertinentia ; intellexerant autem nullas « las ab eo scholas frequentatas, conversatum semper inter idiotas, et fabrilium artem ad virilem « usque etatem exercuisse. Hinc admirantur, nolent hant enim agnoscere eum esse, de quo Isaias « scripsit, xi, 2 : *Et requiescet super eum Spiritus sapientiae et intellectus, etc.,* in quo essent sapientiae et scientiae Dei omnes thesauri absconditi. » In ejus confirmationem Cajetanus hanc habet ponderationem, quod nimirum Salvatoris vitam, quam duxerat, non Galliae compatriotae ipsius, sed Judaei qua potenter diligentia examinavit, iidemque fuerint, qui sapientiam ipsius fere admirati scientes quod in pueritia, adolescentia et juventute sua laboribus manualibus et mechanicis, non vero litteris, continuam dedisset operam.

4. — S. Cyrillus Alexandrinus, *lib. IV in Joan.*,

ait : « Atqui dementiae Judaicae inter caetera argumentum etiam istud est, alioquin enim nihil eis « mirum videri debebat litteris non indigere cunc- « torum opificem Sapientiam, hoc est, unigenitum « Dei Verbum, quod inter ipsos in forma hominis « latebat. »

5. — Invidia eos adeo excœcavit, ut oculos non haberent, quos in veram defligerent lucem, quam illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ; siquidem, ut Jansenius notat, majus divinitatis et auctoritatis ejus argumentum habere non poterant, quam videre ipsum tanta cum sapientia erudientem populos, cum tamen nulli unquam litterarum studio vel minimam dedisset operam ; at vero quid illis hoc profuit? « Pro suo fastu et invidiam, hoc ipsum trahunt in calumniam auctoritatis « eja, velut demoniacum insimulare volentes doctrinam ejus, ex eo unde certo constabat esse « divinam. » Sicut enim ipsum miracula patrantem calumniabantur asserendo ipsum secretum quoddam cum Beelzebub principe demoniorum habere commercium, inquit Salmeron, « ita doctrinam « calumniari non valentes, modum, quo illam sibi « comparasset, nempe vel a demone, vel arte magica, in calumniam rapiabant. » Theophylactus quoque hanc admirationem invidiae motivo attribuit, illudque sequenti similitudine declarat : « Veluti si pauper quispiam vicinus repente in splendidiore vestitu prodeat et videat eum vicinus « invidus, dicit : Quomodo hic tam sumptuosius vestitus indutus est, qui dudum pauperrimus erat? » Idem Salmeron exemplum ipsorummet Judaeorum, qui in die Pentecostes Apostolos, qui antea piscatores et idiotae fuerant, cum admirabili doctrina et facundia predicare audientes et ignorantes mysterium, eosdem ebrios esse existimant : « Admirantur Christum una lingua ad unam gentem loquentem, quid facienti cum Apostolos varis linguis ad universas mundi nationes viderint praedicantes? »

VERSUS 16.

Respondit eis Jesus, et dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.

1. — S. Augustinus, *tract. xxx in Joan.*, acute observat sapientissimum hunc Magistrum nostrum non dixisse : *Doctrina ista non est mea ; sed, doctrina mea non est mea ;* et ait : « Si non tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua? » Tu enim dicis utrumque : mea doctrina et non mea. Quam difficultatem demum per verba S. Joannis, *cap. 1*, resolvit, ubi dicitur : *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ;* « Inde pen- « det hujus solutio quaestionis : Quae est doctrina « Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus « doctrina Patris, si Verbum Patris ; sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alienius et suam

« doctrinam dicit se ipsum, et non suam, quia « Patris est Verbum, quid enim tam tuum, quam tu? Et quod tam non tuum quam tu, si alienius « es, quod es? »

2. — Porro Redemptor noster tanquam unicus et verus Filius Dei eandem aeterni Patris sui scientiam et doctrinam habebat, quia sicuti una est utriusque essentia, ita et unam habent scientiam, cum hac tamen differentia, quod Pater scientiam suam non accipiat ab alio, sicuti illam a Patre Filius accipit, ac proinde dicit : *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me.* « Doctrina quam ego « doceo, » inquit Jansenius, « non est a me profecta primo et originaliter, sed est originaliter « ejus qui me misit in mundum. » S. Thomas expositionem affert huic omnino similem : « *Mea doctrina, quam ego pronuntio verbo creato, non est mea, id est, non est mihi a meipso, sed a Patre, « quia etiam cognitionem Filii per aeternam generationem habet a Patre.* » Unde, *Math.*, xi, 27, dicit : *Omnis mihi tradita sunt a Patre meo.*

3. — Toletus quoque declarat, qua ratione intelligendum sit quod doctrina sit sua et non sua, idque hisce fere verbis : « Haec doctrina, quae Christi « hominis est, sua dicitur, quia ipsi inest ; non sua « autem, quia a divinitate, quae unita est, procedit « et emanat ; propterea vere dicitur, *mea doctrina,* « quam ut homo habeo, non est mea, sed Patris, « quia ab eo accepta est. » Idem quoque hac occasione ponderationem quendam instituit, quia ad sequentem doctrinam moralem viam et pandit ; dicit enim : « Tribuit Christus Patri quae divinitatis « suae sunt, cum posset dicere : Doctrina, quam ut « homo habeo, a meipso, qui Deus et Filius Dei « sum ; at Patri tribuit ; » adducitque Chrysostomi auctoritatem, hanc illius rationem reddentis : « Ne « ingentis, neve Deo contrarius, neve se extollere « videretur, ut modestiam servans, neminem se « jactare debere doceret, et auditorum imbecillitati « consulere. » Porro de hoc a Deo in sacra Scriptura, *I Reg.*, ii, 3, dicitur : *Deus scientiarum Dominus est et ipsi preparantur cogitationes,* et tamen non sibi, sed aeterno Patri suam scientiam attribuit. Clarissimum illud Theologiae juhar S. Thomas de Aquino, Doctor Angelicus, id quod in studiis suis assecutus fuit, non sibi ait sudoribus et vigiliis suis, sed orationis adseribit ; idem quoque faciendum eivis alteri homini, quantumcumque ille excellentissime doctus sit et eruditus ; Deo enim omnem scientiam suam in acceptis referre debet, quia : *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

4. — Lucas Brugensis ait : « Doctrina hic accipitur, non pro habitu scientiae inhærente menti, « sed pro eo quod per habitum illum explicatur « verbis et aliis traditur. *Mea doctrina* igitur, id « est, id quod ego doceo et praedico ad credendum

« et agendum, loquitur ut homo, non ab hominibus
« præceptoribus accipi, non ex libris didici, non
« studio litterario acquisivi, non ingenii subtilitate
« excogitavi; » vult dicere, scientiam suam non
« esse acquisitam, sed infusam ei a primo conceptio-
« nis ejus instanti; « ac si dixisset, » inquit Rupertus
« Abbas, » mea doctrina non ex homine, sed ex Deo
« est; » etenim secundum naturam divinam habet
« eandem cum Patre scientiam, sed a Patre; secun-
« dum vero naturam humanam assumptam, aliam
« quamdam scientiam habet, creatam videlicet :
« Non tam habet eam, » inquit Lyranus, « per exer-
« citium acquisitam, sed ab instanti conceptionis
« infusam. »

5. — S. Thomas, habita ratione scientiæ creatæ,
« ei infusæ, illam eum non a seipso habere dicit; cu-
« jus hanc assignat rationem : « Quia omne verum a
« quocumque dicatur, a Spiritu Sancto est. » Et
« ideo ex quo doctrinam suam per os Apostolorum
« per universum mundum divulgari voluit, eosdem
« pariter instruxit, utpote viros idiotas et illiteratos,
« ut intelligerent quod doctrina, quam annuntiatri
« essent, non sit futura ipsorum, sed ipsius : *Qui vos
« audit, me audit; vel etiam Spiritus Sancti, utpote
« qui illos erudit : Non enim vos estis qui loquimini,
« sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Felices
« igitur sunt auditores illi, qui doctrinam et
« sapientiam a ministro aliquo evangelicam prolata
« auscultant; siquidem vere hic dicere potest : *Doctrina
« mea non est mea, quia prædicat id quod ei
« suggestum et dictatum fuit a veritate et sapientia
« celesti : Sicut docuit me Pater, hæc loquor.*

6. — Rupertus Abbas, *exp. vii in Joan.*, ait :
« Subauditur : Sicut doctrina Phariseorum doctrina
« mea non est; quia videlicet doctrinam sensumque
« suum in plerisque doctrinæ Dei non communicant,
« docentes servare mandata hominum; Dei quippe
« traditiones propter suas traditiones dereliquere
« runt. » In hujus doctrinæ a tam veridico et
« sapienti Magistro traditæ laudem idem Auctor dicit :
« Non facit hæreses et schismata, quomodo faciunt
« eorum doctrinæ, qui novitates vocum amantes,
« dereliquerunt traditiones Dei propter traditiones
« suas. »

VERSUS 17.

*Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat
« de doctrina utrum ex Deo sit, an ego a meipso
« loquar.*

1. — Enimvero quia a Judaismo controversi et
« in dubium vocari poterat, an doctrina Christi et celo
« data, an vero ex ejus inventione excogitata esset,
« ideo illos modum, quo id experiri et explorare pos-
« set, docere voluit : « *Si quis voluerit voluntatem ejus
« facere, cognoscat, etc.* Notans causam, ob quam
« Judæi non intelligerent doctrinam ejus esse divi-
« nam, nimirum quod Dei nolent facere volunta-

« tem, ejus tamen volebant videri cultores reli-
« giosi. » Ita Jansenius, qui dicit S. Augustino, ulterius
« declarare pergit, verba illa, de illa Dei volun-
« tate intelligenda esse, qua mediate vult, ut homines
« in Christum Filium ejus credant, sicut in capite
« precedenti, vi, 29, dixerat : *Hoc est opus Dei, ut
« credatis in eum, quem misit ille.* Vult igitur Salvator
« noster his verbis dicere, inquit Jansenius : « Si quis
« voluerit credere in me, hic intelliget qualis sit
« doctrina mea; » qui tamen idem Doctor aliam
« affert expositionem, nimirum verbis illis significari,
« quod voluntas Dei adimpleta plurimum ad illam
« veritatem discernendam et capiendam conferat :
« Alii vero melius intelligunt generaliter de omni
« Dei voluntate, ut significetur bonum hominis
« voluntatem et studium obsequendi Dei, multum
« conferre ad discernendum, an doctrina aliqua sit
« ex Deo, an non : *Spiritualis enim omnia dividit,
« animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spi-
« ritus Dei.* Hoc audiatur consilium, » inquit Rupertus
« Abbas, « qui discretivum querit veritatis intelle-
« tum. » Porro viam ad intelligentiam doctrinæ
« celestis Sapiens hisce verbis satis aperte, *Prov.*,
« xxii, 20, indicat : *Præbe, fili mi, cor tuum mihi, et
« oculi tui vias meas custodiunt.* Majori cura allaboran-
« dum est, ut cor Dei amore, quam intellectus scientia
« repleatur; ideoque recta nobis via procedendum est
« in observantia mandatorum Dei, siquidem : *In lege
« Domini voluntas ejus.* Hisque præmissis arcanorum
« Dei notitia et celestis sapientiæ profectus facile
« comparatur. Unde Rupertus Abbas ait : « Igitur
« doctrinam Dei qui non discernunt, excusationem
« non habent, quia videlicet ex ipso errore suo sibi
« testes sunt, quod desiderium non habent faciendi
« voluntatem Dei, quod utique si haberent, doctri-
« nam, quæ ex Deo est, ultro amarent. »

2. — Cajetanus ait : Christum jam ante satis
« declarasse notat, quomodo litteras et sapientiam
« sibi comparavit, dum se doctrinam suam a Patre
« suo accepisse confessus fuit, jam vero quinam illi
« sint, declarat, qui hanc doctrinam se ab æterno
« Patre suo accepisse agnoscent : « Declarat modo
« qui sunt cognoscentes hoc, scilicet quod doctrina
« ejus est ex Deo, nec exigit ut litteras didicerint,
« aut discant; non magnitudinem ingenii, non lon-
« gum studium, sed solam voluntatem, duendo :
« *Si quis voluerit voluntatem ejus facere; ecce
« quod exigit volendum, scilicet facere voluntatem
« Dei, factis exequi quod vult Deus, cognoscat;
« amplissima schola ad cognoscendum omnibus
« patet sola bona voluntate. »*

3. — Albertus Magnus, qui S. Thomæ Aquinatis,
« Doctoris videlicet tanta sapientia et scientia theolo-
« gica et sacra ad miraculum usque conspicui præcep-
« tor fuit ideoque et ipse dicere vere potuit : *Doctrina
« mea non est mea; in hæc verba ita scribit : « Patris
« doctrina est in hoc, quod docet ejus voluntatem*

« facere et voluntati ejus conformari, et sanctifica-
« tionem ejus accipere. »

4. — Lucas Brugensis valde solide observat,
« Christum a Scribis et Phariseis non petiisse, ut pro
« celestis doctrinæ suæ specimine eum per viam
« argumenti et litteraturæ humanæ examinarent :
« Ad experimentum ejus, quam tradit, doctrinæ
« provocat, non autem exigit, ut litteras sciat, qui
« didicet, non longum studium, non subtile inge-
« nium requirit, sed voluntatem præstandi factis
« quod Deus vult. » Ad hoc ut in Theologia celesti
« illustremur, Christus a nobis aliud nihil exigit,
« quam exactam divinorum præceptorum suorum
« observantiam. » Docet Christus, » non id docet
« S. Augustinus, vel S. Hieronymus, vel alius quis-
« cumque Doctor Ecclesiæ, sed ipsamet æterna Veritas,
« rectam hujusmodi voluntatem esse disposi-
« tionem animi propinquam, tum ad recipiendum
« lumen divinum, tum ad discernendum doctri-
« nam; obedientiam, inquam, mandatorum Dei,
« mereri illuminationem et intelligentiam. » S.
« Bernardus, *Serm. lxxv in Cant.*, ait : « Si quis
« sapientiam, virtutis amorem delinierit, non a
« vero deviare videbitur. » Et alibi : « Nec cognitio
« sapientem, sed timor facit. » In *Psal.* cx, 10,
« scribitur : *Dilexit sapientiam timor Domini;* mox vero
« immediate subnequitur : *Intellectus bonus;* sed qui-
« bus? *Facientibus eum.* Ubina doctrina sacra et vera
« sapientia solidius reperitur, quam inter religiosos
« claustraliter viventes, illos, inquam, qui in exacta
« legis Dei et ordinis observantia vivunt, atque insu-
« per consiliorum Evangelicorum fidelissimi execu-
« tores existunt? *Sup.*, i, 4 : *In malevolam animam
« non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore sub-
« dito peccatis.* Chrysostomus, *Hom. xlviii in Joan.*,
« ait : « Si quis sit amator virtutis, verborum meorum
« vim intelliget. »

5. — Unde consideranda sunt verba illa, *facere
« voluntatem, quia in Jobo, xxxvi, 32, legimus : In
« manibus abscondit lucem;* neque enim sola sufficit
« speculationi, nisi hæc simul adnexa fuerit actio, quæ
« speculationi per opera conformis existat : *Circum-
« fulsit eum lux de celo;* eo ipso tempore, quo S. Paulus
« Doctor Gentium de celo proclamatus fuit, simul
« etiam fuit in divinæ sapientiæ thesauris introduc-
« tus; imo eo ipso tempore hæc ejus vox audita fuit :
« *Domine, quid me vis facere?* Apud Isaiam, lviii, 2,
« Deus inquit : *Me etenim de die in diem quærunt et
« seire vias meas volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit
« et iudicium Dei sui non dereliquerit.* Præcipua
« causa, cur hæretici, Mahumetani, pagani, etc.,
« mysteriorum fidei nostræ intelligendorum et credo-
« dendorum omnino incapaces existant, hæc est, quia
« lasciviæ et carnis vitii immergi vivunt, divinæque
« legis manifesti transgressores existunt; quod si
« enim juxta lumen diclamini naturæ viverent,
« Deus illis utique sui et fidei suæ agnitionem non

« denegaret, quia *Non est qui se abscondat a calore
« ejus, dicit Psal. xviii, 7.*

6. — S. Thomas in horum verborum expositione
« angelice advertit, quod ad hoc ut quis discernat,
« an quis in re aliqua bene operetur, necessario stan-
« dum sit iudicio illius, qui rem illam ex instituto et
« professione sua novit et exercet; v. gr. si seire vo-
« lumus an quis bene et ordinate Gallicam linguam
« calleat, adhibendus est Gallus judex, qui linguam
« illam pro vernacula habeat, non vero ad hoc judi-
« cium adhibendus est Hælus linguæ predictæ igna-
« rus. Huic igitur regulæ insistentium quoque est, si
« discernere velimus num doctrina aliqua a Deo sit;
« adhibendus enim est judex talis, qui in rebus Dei
« discernendis præcibus existat, hic enim et non alius
« hæc in re iudicium ferre poterit, I *Cor.*, ii, 14 :
« *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei,
« spiritualis autem judicat omnia. Et ideo non cognos-
« citis ea doctrina utrum ex Deo sit; si quis voluerit
« voluntatem ejus facere, cognoscat, etc.*

7. — Chrysostomus, *Hom. xlviii in Joan.*, Salva-
« torem dicere voluisse existimat, quod ad hoc ut
« doctrinæ suæ veritatem agnoscere possent, prius
« necesse illis sit, ut odium et invidiam adversus
« ipsum conceptam penitus deponant et ab animis
« suis avellant : « Ac si dicat : Hanc amovete dubita-
« tionem, et iram, et invidiam, et inane contra me
« odium, et nihil vos impedit, quin cognoscatis
« Dei vere verba mea esse, nunc hæc vobis et tene-
« ras offendunt et rectum verumque iudicium cor-
« rumpunt. » Hoc tamen loquendi modo expresso
« uti voluit, ne vitia et inordinatas illorum passiones
« illis ob oculos ponendo, eos magis ad iracundiam
« et aversionem proriperet : « Sed hoc lotum significa-
« vit, cum inquit : *Qui facit voluntatem ejus, cogno-
« scet de doctrina, utrum vero ex Deo sit, an ego a me
« ipso loquar.* » In quam etiam expositionem S.
« Cyrillus Alexandrinus et Lyranus consentiunt.

8. — S. Thomas observat, Christum dixisse,
« quod qui Dei voluntatem fecerit, cogniturus sit an
« ex ore Dei, an vero ex proprio arbitrio loquatur.
« Ille quidem a seipso loquitur, qui falsum dicit; »
« quia ut Salvator noster, *Joan.*, viii, 44, dicit : *Cum
« loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* Vel etiam
« secundum Chrysostomum, inquit idem S. Thomas :
« Voluntas Dei est pax, charitas et humilitas nostra;
« studium contentionis frequenter pervertit men-
« tem hominis, in tantum, ut verum æstimet fal-
« sum; unde deposito contentionis spiritu, rectius
« habetur certitudo veritatis. *Job.*, vi, 21 : *Respon-
« sione dele, obscuro, absque contentione et loquentes id
« quod justum est, iudicate.* »

9. — Consideranda sunt etiam verba illa : *Si
« quis voluerit.* Salmeron ait : « Deus enim nolentem
« non vult cogere; et voluerit inquit, quia scie-
« bat multos velle et non posse, quibus satis est
« bona voluntas, ut Deus illis sui cognitionem

« infundat. » Sufficit Deo nostra bona voluntas, quando opus ipsum prestare non possumus et ideo non dixisset: *Si quis fecerit voluntatem*; sed ait: *Si quis voluerit facere*, quia, ut Terullianus ait: « Nemo « ab invito coli vellet. » Et Psalmista dicit, *Ps. lxxviii, 8: Voluntarie sacrificabo tibi*; Deus etenim ad servitium suum non admittit coactos, sed ultronee voluntes.

10. — Per hanc Dei voluntatem executioni mandatum adimpletio legis intelligitur: *In lege Domini voluntas ejus*; et hanc est, que divinorum mysteriorum intelligentiam faciliat. Cajetanus, ad id explicandum, sequentem adhibet similitudinem: « Sicut bona dispositio gustus dat gustui discernere « differentias saporum, sic bona dispositio voluntatis, si vere est bona, dat intellectui discernere « doctrinam ex Deo, a doctrina que non est ex Deo. » Sponsa coelestis in sacris Canticis, *ii, 4*, ait: *Introduxit me Rex in cellam vinarium, ordinavit in me charitatem*. Ubi Chaldaeus ita legit: *Introduxit me Dominus in domum gymnasi doctrinæ Israel*. Sed quoniam sine hic charitatis facit mentionem? ad insinuandum videlicet, quod omnis scientiæ et doctrine sacræ fundamentum in divinæ legis observantia consistat, de qua scribitur: *Plenitudo legis est dilectio*. Philo Carpathius ait: « Ordinatur autem « charitas in anima fidei, ex diligenti observatione « mandatorum, dum legit et meditatur Scripturas « sacras. »

11. — Rupertus Abbas ait: « Est autem ex Deo « loqui, sic loqui, quomodo Spiritus veritatis suggerit, id est, non de corde proprio quicquam « conflare, sed sicut corde sentitur, ita et ore « veritatem proferre, ita e contra a semetipso « quemquam loqui, mendacium loqui est. »

VERSUS 18.

Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit, qui autem quaerit gloriam ejus, qui misit eum, verax est, et iustitia in illo non est.

Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit.

1. — « Hoc est, qui non est missus a Deo, » inquit Iansenius, « et loquitur ea, quæ a Deo non « accipit; hic non Dei quaerit gloriam, sed suam « propriam. » Et quidem hujus pronuntiatu veritas in hereticis perspicue videtur, qui neglecta doctrina Dei, doctrinam sibi propriam adveniunt, nihilque præter gloriam et applausum apud homines avidius quaerunt.

2. — Lucas Brugensis ait: « Gloriam apud « homines suam, non Dei quaerit, affectat, aucupatur, desiderat, scilicet ex propria ingenii sui « inventione, nimirum ut ab auditoribus in pretio « habeatur, laudetur, magnificentetur et proprium « ipsius nomen extollatur, intendit animum, ut

« populari plausu excipiatur. » Id quod in multis evidenter nimis conspiciunt, qui non prædicant, ut animas Deo lucrentur, vel pro divinæ gloriæ incremento, vel ut peccatores ad penitentiam perducant, sed tantum ut sibi penes mundum laudem, existimationem et conceptum viri ingeniosi et scientifici inaniter acquirant. Hi ut plurimum a semetipsis loquuntur, quia conceptus proprios, nec unquam hactenus auditos adveniunt, sacram Scripturarum, sanctorumque Patrum dogmata spernunt et negligunt; vel etiam quia seipsos ad docendum non invitatos aut vocatos, ad prædicationis ministerium sua se sponte temere ingerunt et obtrudunt. De quibus Chrysológus, *Serm. cxx*, hisce verbis præclare loquitur: « Quis non vocatus « ad aula Regis se proripit servitium? Quis sine « titulo militari militem se ausus est profiteri? Quis « sine dignitatis infulis nomen dignitatis invidit? « Et si hæc penes homines sollicita cautela sunt, « quanta penes Deum magis causa est devotio, magis tremenda servitus, magis sollicitus cultus, ut « divinum ratione præstet obsequium. »

3. — Salvator noster Apostolis suis, *Luc. x, 16*, dixit: *Qui vos audit, me audit*. Quod si igitur is, qui verbum Dei annuntiat, velut in veritate dicere possit, verbum a se prædicatum, Dei non suum verbum esse, illud a Deo ediscat, et Christi, non sua doctrina utatur, quia hæc de re ipsam quoque Sapientia increata sollicita fuit, dum ait: *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me*; quasi diceret, ut Lucas Brugensis interpretatur: « Ille solus « me litteras docuit, ille sicut misit me in mundum, ita dedit mihi in os et præcepit ea omnia, « quæ docere et prædicare in mundo debeam. » Nec quicquam hactenus dicitis officit, si aliorum conceptus prædicemus, dummodo, hi ad majorem Dei gloriam et animarum fructum ordinentur. *Gloriam propriam quaerit*, ubi Cajetanus ita scribit: « Quia in propriis inventis gloriam propriam intendit. » Carthusianus dicit: « Hoc est, proprias « adventiones, non veritates desuper revelatas. » S. Cyrillus Alexandrinus, *lib. IV in Joan.*, ait: « Os « tendit se gloriam non aucupari docendo, quod « peregrinis quibusdam et a lege alienis sermonibus non utatur, hoc est enim loqui a semetipso. »

4. — S. Augustinus, *tr. xxxix in Joan.*, super hæc verba ostendit quod Christus hoc in loco magnum post se nobis reliquerit humilitatis exemplum, dum se adeo propria gloria quaerenda alienum esse probavit: « Aequalis est Patris, verissime dixit: *Ego et « Pater unum sumus*, Deus de Deo, Deus apud « Deum, coæternus, immortalis, creator et dispositior temporum; tamen quia venit in tempore, et « formam servi accepit, et habitum inventus est ut « homo, quaerit gloriam Patris, non suam. Quid tu « homo facere debes, qui quando aliquid boni facis, « gloriam tuam quaeris? »

5. — S. Bonaventura tale facit argumentum: Quodsi Filius Dei, cui omnis debeatur gloria, solam Patris sui gloriam se velle et procurare profiteretur, multo magis cuiuslibet fidei, qui corporis illius membrum est, gloria Dei, non vero sua quaerenda, omnibusque scientia et doctrina Deo, non vero sibi attribuenda erit.

Qui autem quaerit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est et iustitia in illo non est.

6. — Lyranus Christum omnia hactenus dicta exemplo suiipsius probare voluisse dicit; siquidem in doctrina sua nihil præter æterni Patris sui gloriam et honorem sectabatur, indeque se Deum esse arguebat: « Omne enim, quod est ad Dei gloriam « ordinatum, ab ipso est, hoc est quod dicitur: « *Qui autem quaerit, etc. Hic verax est, et irreprehensibilis est in vita.* »

7. — Lucas Brugensis hoc loco per injustitiam, imposturam et fraudem intelligit: « Ut injustus sit « veraci contrarius, is scilicet qui studio fallendi et « adulandi, simulque proprie gloriæ ambitu docendi se muneri ingerit; » hoc autem in Christo inveniri neutquam poterat, utpote qui decipere et adulari nequibat. Unde sequentem doctrinam deducit: « Monemur his, neminem fideliter obire « posse Doctoris munus in Ecclesia, nisi qui ambigione vacuus, hoc unum sibi agendum sumit, ut « lotis viribus promoveat gloriam Dei. »

8. — Toletus vero aliam quandam adhibet distinctionem, ad hoc se reflectens, quod pessimi illi Scribæ et Pharisei duobus ex capitibus Salvatorem accusarint; primo videlicet, quoad doctrinam ejus, hæc enim ipsum turbas seducere dicebant; secundo, quoad ipsius opera; eum tanquam sabbati transgressorem calumniabantur: « Contra utramque calumniam intutit: Qui gloriam Dei, a quo missus est, « non autem propriam quaerit, hic verax est, quia « doctrina ejus vera est; mendacis enim non gloriificatur Deus. » Considera igitur quanta id Christus cum prudentia et circumspectione dixerit; siquidem nonnulli prædicationem ejus et doctrinam, alii vero vitam ipsius calumniabantur.

9. — Idem quoque S. Cyrillus citat, dicentem: « Phariseos illos arguit, qui propriam quaerentes « gloriam mendaces et injusti erant; mendaces, « quia hominum traditiones divinæ legi contrarias « docebant, injusti, quia divina mandata transgredebantur. »

VERSUS 19.

Nonne Moyses dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem?

1. — S. Thomas, *in Joan.*, Christum hisce verbis objectioni occurrere voluisse dicit, quam malitia Pharisæica ei opponere poterat, dicendo, doctrinam

ejus a Deo esse non posse, eo quod ipse sabbati violator manifestus existat, *Joan. ix, 16: Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit*; hisce igitur hunc fere in modum respondere voluit: Dato, concesso, quod doctrina illius a Deo non sit, qui sabbatum non custodit, vos tamen nullam habetis juste me de hac transgressione accusandi causam, cum hac in re vos me longe sitis culpabiliores. *Nonne Moyses dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem?* « Si ergo non servatis legem, quare « propter transgressionem ejus vultis me interficere? Non enim propter hoc facitis, sed propter « odium, alioquin si propter zelum legis faceretis, « ipsi vos servaretis eam. » Theophylactus Christum illis improbare voluisse dicit, ipsos videlicet, non vero se, legis transgressores esse, quia cum lex præcipiat inter se: *Non occides*, ipsi tamen sibi mortem continuo machinantur. Ita pariter Rupertus Abbas Christum de industria mox subjunxisse scribit: « *Quid me quaeritis interficere?* » Quasi diceret: repugnancia quippe sunt, nec « simul esse possunt, et legem facere, et hominem « velle occidere. » Ipsi quidem Salvatori impunitabant, quasi is sabbatum violasset, dum curaverat paralyticum; et vero S. Cyrillus inquit: Ergone legis transgressor et mortis esse censetur, qui in sabbato alteri per miraculum restituit salutem? Vel certe si ego legum transgressor dicendus sim, vos potiori jure legis transgressores dici meremini; siquidem ego infirmo confero salutem, vos autem viro innocente machinamini mortem: « Nonne « sicut doctrinam meam calcatis, ita quoque legem « violare pro nihil ducitis, dum eadem injuste molimini? » Hugo Cardinalis autem Filium Dei dicere voluisse dicit: Quod si ego sabbatum violasse censendus sum, quia sanavi paralyticum; multo magis vos divinæ legis violatæ crimine vos polluitis, qui machinamini mihi mortem: « Et ita transgressio mea est in salutem, vestra autem in perditionem « nem, ideo non potestis, qui magnum facitis « transgressionem, me judicare minus transgressorem. » Dionysius Carthusianus ait: « Hoc « asserit cordium judex et cognitor, vel quia in « turba, quam alloquebatur, nullus fuit justus, le- « gisque factor; per hoc innotuit, quod digni non « erant eum arguere de sabbati transgressione. » S. Cyrillus dicit: « Non unum aut alterum, sed totum « Judæorum genus Mosaicam legem parvi « facere ostendit, » adeo ut de æterno Patre dici poterit: *Dominus de caelo prospexit super filios hominum, ut vidcat si est intelligens aut requirens Deum*; tantum abest enim, ut cognoscerent ejus Filium, ut potius ad inferendam ei necem unanimiter adversus eum conjurarent: *Omnes declinaverunt.*

VERSUS 20.

Quid me queritis interficere? Respondit turba et dixit: Daemonium habes; quis te querit interficere?

Quid me queritis interficere?

1. — Nimirum oculis ipsis insidiarum technas manifestat. Unde Dionysius Carthusianus ait: «Hoc dicit, ut ostenderet se illorum machinationes cognoscere et eos ad emendationem induceret, non tamen ut mortem imminenter evaderet.»

2. — Lucas Brugensis hisce verbis tacitam quandam malitiae ipsorum reprehensionem contineri existimat: «Quasi dicat: Injuste mecum agitis; injustum est enim, ut quis punire velit alterum ob id, in quo est et ipse manifeste atque impune culpabilis.»

3. — S. Antonius de Padua dicit: «Imo verius; quid me jam tam crudeliter interficilis? peccator namque quoties peccat, toties in se interficit Christum.»

Respondit turba.

4. — Beda, in *Luc.*, ob haec Evangelistae verba praedictam blasphemiam a turba prolata fuisse existimat: «Quid possit aliud dicere turba turbulenta? quid possit aliud olere coenum commotum, nisi putidum? turba turbata est: unde a veritate; oculi non habentes sanitatem, non possunt ferre luminis claritatem.» Lyranus dictionem hanc, *turba*, haec glossa exponit, id est, *homines turbati*, neque id sine mysterio; siquidem frequens aliis in occasionibus experientia edocuit, populum erga Salvatorem ipsis Principibus longe fuisse devotiorum: imo in Evangelio, *Johan.*, vii, 31, expresse dicitur: *De turba multi crediderunt in eum.*

5. — Lucas Brugensis turbam hanc exensare nititur, dum ait: «Turba nesciens Principum consilium verba generaliter dicta ad se traxit, cumque se ab eo criminem alienum sentiret, imo potius Deo favere sibi videretur, irritata Jesu accusatione tanquam ab eo homicidii insinularetur, acerbe et contumeliose respondet et cum injuria Jesu ejusmodi facinus a se repellit.» Toletus ejusdem fuit opinionis, quod nimirum Redemptor noster haec verba: *Quid me queritis interficere?* non ad populum, sed ad Phariseos et alios Judaismi Principes dixerit, utpote quia ad adimendam sibi vitam unanimiter inter se conjurant; verumtamen verum quoque esse posse existimat, quod cum non omnes ingentis illius multitudinis homines in ejus mortem conspirarint, sed solum aliqui illorum, ideo hi tantum, qui ab ejus sanguine mundas manus habebant, adeo Christo ob hoc ejus dictum fuisse indignatos: «Existimo eos, qui ita responderunt, non fuisse de numero eorum, qui occidere

«quererent; erat enim turba humilis, cujus non erat legis transgressiones vindicare.»

Daemonium habes.

6. — Nimirum Filium Dei ab eo, quod ipsi erant, arguebant; malorum namque proprietates est, ex semetipsis alios metiri et judicare, omniaque in deteriorem partem interpretari, et ideo, quia Christus illis dixerat: *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis perficere, ille homicida erat ab initio*, ideo, inquam, Filium quoque Dei daemonium habere judicabant.

7. — Toletus ipsos dicere voluisse ait: «Daemon te instigat ut haec dicas, nam nemo nostrum te querit interficere; daemonio haec tribuunt, quia ipsius est mendacia, et falsa testimonia, et calumnias imponere. Quod ergo dicunt: *Daemonium habes*, idem est ac si dicerent,» inquit Lucas Brugensis: «Insanis.»

8. — Et quidem si haec responsio ab illis, qui innocentes erant, data fuit, credibile est, quod Christum iudicii temerarii arguere voluerint; quod autem si veritatem in materia gravi culpa est mortalis, quae unica ad dandum demoni in animam christianam liberum aditum abunde sufficit; at vero in hoc conceptu, quem sibi de Christo formaverant, turpiter hallucinabantur.

9. — Jansenius exemplum mansuetudinis et patientiae Christi, quod in hac occasione edidit, valde admiratur. Dicit enim: «Cum demones eiceret, patienter tamen audivit eos, qui ipsum dicebant daemonium habere, tranquille respondens, et ad salutarem se doctrinam convertens.» Quod idem S. Augustinus, *tr. xxx in Joan.*, diu ante his verbis dixerat: «Et quippe dictum est, quod daemonium «haberet, qui demones expellebat.»

Quis te querit interficere?

10. — «Negatio haec fuit malignitatis,» inquit S. Cyrillus «impietatemque impietati addunt, quasi mendacem eum appellantes, ad dentes iniquitatem sibi iniquitati.» Cajetanus quoque illos id per fraudem negasse existimat: «Sicut fraudulentum se coram eo, sicut coram homine abscondere putabant.» Hugo Cardinalis ait: «Negare conantur, quod tamen volebant; unde et blasphemii et mendaces sunt.» Salmeron quoque idem opinatur, dicens: «Negant impudenter quod volebant, quia peccans non videt peccatum, ut cecus.»

11. — Salmeron observat, quod tamen populus ab illa machinatione, qua de nece Christo inferenda agebatur innocens fuisse, at tamen ad defendendum Sacerdotes, Pontifices, Scribas et omnes alios synagoga Principes, qui revera rei erant, Salvatorem hae calumnia diffamare nequaquam debent: «Taxatur hic improba defensio majorum ab adulatoribus; docemur sollicite cavendum esse,

«ne sententiam feramus de rebus incognitis ut turba fecit, quae temere solet judicare de factis majorum, quae ignorat, ideo erat sive vituperans, sive defensus.»

12. — Prudentissima Christus hic cautela usus fuit, ne Principes populi, Scribas et Phariseos vel minimum culpabiles esse manifestaret, sed discursum suum ad totam hanc multitudinem direxit, ne si defectus hos singulariter in ipsis solis detexisset, eosdem adversus se magis magisque exasperarent. S. Gregorius hac occasione utilissimum nobis in ordine correctionem faciendam suggerit documentum, dum ait: «Nisi predicator sustineat, quando proferre congrue correctionem possit, anget in eo malum, quod insequitur; sepe enim contingit, ut talis sit, qui nulla increpationis verba sustineat.»

VERSUS 21.

Respondit Jesus et dixit eis: Unum opus feci et omnes miramini.

1. — Respondit Dominus non plane turbatus, inquit S. Augustinus, *tr. xxx in Joan.*, «sed in sua veritate tranquillus, non reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, quibus si diceret: Daemonium habetis vos, verum utique diceret.»

2. — Dionysius Carthusianus quoque ad hanc se benignitatem reflectit, dum ait: «In verbis istis commendatur nobis ineffabilis patientia, mansuetudo atque tranquillitas Christi, qui ad tantam contumeliam tam benigne mititerque respondit; adducitque illum Psalmi xxxviii, 2, locum, quem etiam ad ipsius patientiam declarandam adaptat: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me; nec non et illam Sapientis, Prov., xxvi, 4, sententiam: Non respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Salmeron, tract. xxxv, ait: «Discamus injuriam devorare et exemplo Christi forti animo sustinere: gravissima enim fuit blasphemia conjugere demonem divinitati Christi; quod detestabilis fuit quam ponere idolum Dagon juxta arcam Dei.»*

3. — Pro horum verborum Christi majori intelligentia sciendum est, quod, ut Toletus advertit, ab illo tempore, quo paralyticum in die sabbati sanaverat, eidem ut lectum suum humeris suis asportaret, praecipiendo, Judaei enim ad inferendam ei necem conspirarint, neque ab hac ipsorum machinatione deinceps destiterint, imo furor et rabies eorum adversus ipsum magis magisque exereverit et ideo miraculum istud in presenti in medium adducit, quia in eorum memoria presentissimum erat et propter id mortem ei parabant.»

4. — Quoniam igitur modo et sensu verbum illud, *miramini*, intelligendum sit, clarum et perspi-

cuum est inter sacros interpretes. Rupertus Abbas, *lib. VII in Joan.*, ait: «Hoc opus illi mirabantur, hoc est, magnifice inter se querendo, velut magnum et inauditum scelus, tanquam pro lege Dei magno zelo indignabantur,» et quidem idipsum verum esse, Venerabilis hic Doctor ex verbo, *Indignamini*, quod paulo post subjungitur, deducit: «Quod ait: *Hoc omnes miramini*, paulo post repetens eandem admirationem vocat indignationem, dicendo: *Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato.*» Lyranus ait: «*Miramini*, id est, turbamini, quasi dicat: Quantum turbamini, si vidissetis omnia facta mea, male interpretantes ea.» Toletus ita exponit: «Perturbati estis, et tumultuamini, quasi sabbatum et legem sim transgressurus.» Hugo Cardinalis pariter ait: «Id est, turbamini, qui magis deberetis condandere sanato et laudare sanantem Deum.» Lucas Brugensis ait: «Damnatis tanquam immane scelus publice admissum contra religionem sabbati, dignum quod morte puniatur.» S. Thomas in eadem opinione fuit, siquidem ait: «Admirantur non admiratione devotionis, sicut Isaias, cap. lx, 3, scribitur: *Videbis, et affues; et mirabitur, et dilatabitur cor tuum*, sed admiratione turbationis; juxta illud Sapientiae, v, 2: *Videntes turbabuntur timore horribili et mirabuntur*; atque ideo hanc inferre voluit consequentiam: Si propter unum opus miramini, id est, turbamini, quid faceretis, si omnia opera mea videretis?»

VERSUS 22.

Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moysse est, sed ex Patribus, et in sabbato circumciditis hominem.

1. — S. Thomas hujus argumenti ab incarnata Sapientia facti efficaciam insinuat, dicens: «Efficaciam habet ex tribus considerationibus.» Prima est, inquit S. Doctor, quia nos videmus, quod tamen circumcisio sancto Abrahae Patriarchae data fuerit, nihilominus praecceptum Moysi circa sabbati observantiam datum, primo praeccepto circumcisionis ne vel minimum praedjudicabat. «Et ideo ex hoc arguit, quia licet in humanis legibus posteriora praedjudicent prioribus, tamen in divinis priora sunt majoris auctoritatis, et ideo praeccepto facto Abrahae de circumcisione, non praedjudicant praeccepto Moysi de observatione sabbati; multo ergo minus praedjudicat mihi, qui facio quod dispositum est a Deo ante mundi constitutionem, de salute hominum in sabbato figurata.»

2. — Secunda consideratio est, quia Judaei prohibitionem habebant non laborandi, aut opera servilia exercendi in sabbato, et tamen ab his facienda, quae ad salutem propriam pertinebant, nequaquam desistebant; siquidem etiam in die sabbati

se circumcidi curabant : « Ergo multo magis debet homo facere ipso die ea, quæ sunt ad universalem salutem ; non ergo debetis mihi indignari, quia totum hominem sanum feci in sabbato. »

3. — Tertia consideratio est, quia utrumque præceptum tam circumcisionis, quam sanctificationis sabbati, figuræ erant ; siquidem omnia in figura contingebant illis ; « si ergo figura, scilicet mandatum de observatione sabbati, non præjudicat figuræ, scilicet mandato circumcisionis, minus præjudicat veritati. »

4. — Porro verba illa : *Non quia ex Moyse sed ex Patribus*, declaratione aliqua indigent. Et ideo Lyranus in primis ait : « Non ex Moyse, scilicet primo, sed ex Patribus quia data est tempore Abraham. » Jansenius ait : « Nimirum quod eam in lege præcipi peret, quamquam prius fuerit instituta, ne quis Dominum argueret inscitia, quasi putaverit Moysen auctorem fuisse circumcisionis, cum tamen fuerit confirmator. »

VERSUS 23.

Si circumcisionem accepit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysis, mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in sabbato.

1. — S. Bonaventura argumentum istud hoc modo in formam suam disponit : in die sabbati circumciditis, eo quod lex puerum in die octavo circumcidere præcepit licet octavus ille dies in ipsum sabbati diem incidat, quod si igitur is, qui hominem in sabbato circumcidit, non prævaricatur legem mosaicam quoad violationem festi, « ut non solvatur lex Moysis, quæ prohibebat opera servilia, non opus salutis, mihi indignamini, id est, cur indignamini quod totum hominem sanum feci? curatus enim fui, ut sanatus esset in corpore, et credidit ut sanus esset in anima. »

2. — S. Augustinus illos, cur in sabbato circumcidi se facerent, interrogat : « Circumciditis hominem, quare? Quia circumcisio pertinet ad aliquod signaculum salutis, et non debent homines sabbato vacare a salute; ergo nec mihi irascimini, qui salvum feci totum hominem sabbato. » Idem quoque S. Doctor hanc introductionem facit : « Propter legem Moysis circumciditis, quando etiam sabbatum occurrerit, et ergo sanitatum faciendum beneficentiam non vultis ut exhibeam per sabbatum? » Porro Toletus Judæos excusari potuisse dicit, quod circumcisionem etiam in sabbato facerent : « Quia erat pro salute animæ, quamvis cum corporis læsione esset; » at vero Christus eo modo respondit, ut eos convinceret : « Se non animam solum, sed corpus etiam sanasse respondet, circumcisio enim unam partem sanabat, alteram lædebat et vulnerabat : at Christi opus integrum hominem salvum fecit. »

3. — Lyranus verba illa : *Cur mihi indignamini?* ita exponit : « Quasi dicat; hoc est valde irrationale, quo magis licita est et melior sanatio hominis in anima et corpore, quam sit ipsa circumcisio, et magis ad gloriam Dei. »

4. — Toletus ad id se reflectens, quod Christus se totum hominem sanasse dicit; declarat id intelligendum esse in ordine ad salutem paralytico collatam in corpore simul et anima, cum tamen circumcisio totum hominem minime sanaverit, quin potius corpus vulnerabat et lædebat, licet in virtute fidei in Christum venturum animam sanaret. Salmeron, tract. xxiv, ait : « Neque hesites circa dictum : *Totum hominem sanum feci*, cum tamen maneat fomes et proclivitas ad malum, quæ a Paulo peccatum dicitur, et totum hominem re sanat in spe certa, et jure salutis æternæ consequendæ, per quam fomes et mortalitas absorbentur. »

VERSUS 24.

Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.

1. — Cajetanus Filium Dei his verbis dicere voluisse existimat, cavendum illis ne de illo conceptum faciant ex eo quod in illo extrinsecus apparebat; quia si eum talem agnovissent, qualis revera erat, illum utique nec sabbati, nec alterius cujusque legis transgressorem esse existimassent : « Secundum aspectum exteriorum, quo aspicietis a vobis, pauper et unus de populo; considerate me patratorem miraculi solo imperio, et sic justum judicium judicate, mihi licere facere hæc in sabbato, non minus quam Moysi circumcidere in sabbato. » Jansenius ita exponit : « Ne judicetis secundum faciem, hoc est, personarum qualitate. » Vos Moysen, quem merito permagni existimatis, minime deliquisse existimatis, dum vobis per circumcisionis sabbatum transgredi permisit : « In simili negotio absolvit, in quo me humilem et contemptum apud vos condemnatis. » Toletus litteralem horum verborum sensum præ aliis apertius declarat, dum ait : « Verus sensus hic est : lex Moysis præcepit, ut sabbatum servetur. Patres octava die circumcidendum infantem præcipiunt, quod et Moyses confirmavit; fieri autem potest, ut octavus dies sit sabbatum, tunc si circumcisio non fiat, patrum institutio non servatur; si vero fiat, lex Moysi violari videtur, in hæc ambiguitate vos Judæos declaratis, et recte facit tum est, esse die octava circumcidendum, nec per hoc solvi legem Moysi; nec enim opus Patrum eredi debet prohibitum esse a Moyse; cur ergo creditis opus hoc, quod multo majus est, esse prohibitum? Si enim dicatis, illud esse Patrum, hoc tum est, quem vulgarem hominem existimamus et reputamus, jam profecto accipi-

tis personam; » ac prout, ut idem Doctor considerat, eodem salubriter monet, ut non secundum exteriorem apparentiam ab eo judicent, sed miraculum ab eo patratum recogitent et examinent, absque eo quod ad personam ejus extrinsecus pauperem et humilem oculos suos dirigant : « *Justum judicium judicate*, id est, considerate opera ipsa, quæ sabbato fiunt. » Circumciditur in die sabbati infans, et eodem die paralyticus ille, qui triginta octo annis lecto immobiliter affixus jacerat, sanitati restituitur : « Brevi temporis momento ila sanatur, ut grabatum valeat per vias portare, quis neget divinitus, mirabilis, potentius esse hoc opus? Si ergo licuit vobis illud in sabbato exercere, » id est, circumcisionem administrare, « cur hoc mihi non licuerit? Vos ad personas recurritis, scilicet circumcisio Patrum est, opus hoc tum est, quem nos nullo Patribus inferiorem æstimamus : hoc jam est judicium, in personarum acceptione, accipere nam opera sunt, per quæ fit ingressio, si aliqua est, non personæ ipsæ. »

2. — S. Augustini monitum est dicentis : « Hoc vitium, fratres, quod Dominus notavit hoc loco, evadere in hoc sæculo, magni laboris est non personaliter judicare, sed rectam judicium retinere; » at vero ut S. Bonaventura ait : « In hoc illos convincit, nos instruxit Augustinus, ut ideo non personaliter judicemus, sed rectum judicium teneamus. »

3. — Porro quomodo intelligendum sit, quod non secundum faciem et apparentiam exteriorem judicare debemus, id Lucas Brugenensis optime his verbis declarat : « Quod unus honoratus sit in sæculo, alter despectus : unus gratus, alter exosus, » id quod in Christo exemplificat, quem sic introducit loquentem : « Ego Galilæus vilis, et contempti fabri filius; vos Judæorum principes ac seniores. »

4. — Chrysostomus Sapientiam incarnatam monitum hoc non solis Hebræis tradere voluisse dicit, *Hom. xlviii in Joan.*, sed potius illud voluisse per omnia sæcula ventura ad totum humanum genus extendere : « Hoc autem non illius sæculi hominibus tantum dictum est, sed et nobis, ut nullo modo justitiam oppugnemus, sed totis viribus eam defendere contendamus; » modumque nobis præscribit, quo eandem justitiam tueri et servare possimus, videlicet si personarum acceptionem nullatenus accepta verimus : « Nullus sit nobis respectus, an pauper quis sit, an dives, rem ipsam investigemus : *Non miseraberis*, inquit, *pauperis in judicio*, hoc est, nolite fleci, nolite moveri, si pauperem injustum judicaturus es, cui si non est ignoscendum, longe minus diviti. » S. Thomas quoque hæc verba eandem expositionem adhibet, dum ait : « *Nolite accipere*

personam in judicio, hoc est, prætermittite justitiam judicium propter amorem, seu reverentiam, an sen timorem, aut conditionem personæ, quæ non faciunt ad causam. » Optime S. Bonaventura, quamvis sint periculosiores scopuli, observat, propter quos, si in eos quis impingat, judicium pervertitur : « Judicium pervertitur, quod modo dis, scilicet timore, odio, amore, cupiditate; » et quidem pro faciliori eorumdem memoria hæc versus adducit :

Quoties ista : timor, odium, dilectio, census,
Sæpe solent hominum rectos pervertere sensus.

Isaias, xi, 3, dum Messiam tanquam Judicem venturum esse prædicit, ita loquitur : *Non secundum visionem oculorum judicabit, nec secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitia pauperes*; et quidem licet hic Judex decipi nulla ratione possit, de quo ita scribitur, *Jean.*, ii, 25 : *Sciebat quid esset in homine; scrutatur renes et corda*; nos tamen erudire voluit, quod nequaquam nos secundum faciem exteriorum judicia nostra regulare debeamus. De eodem Judice in Psalmo xlix, 3, ita scriptum legitur : *Deus manifeste venit*; et quidem quo ibi de judicio sermo sit, nullum est dubium, quia paulo post sequitur : *Advocabit eum deservium, et terram decernere populum suum*. Id vero, quod illo in textu proposito nostro vel maxime deservit, in eo consistit, quod ibi Judex, prodromi, vel ministri justitiæ loco ignem habiturus esse dicatur : *Ignis in conspectu ejus exardescet*; idque non sine magno mysterio, quia ignis elementum quoddam est, quod ejus est nature, ut nullius hominis respectum aut differentiam habeat, in unumquemque sibi appropinquantem agit, quiscumque tandem sit, sericum æque ac linum, non minus lanam quam vilem chartam comburit, saccumque cilicem æque ac purpuram regiam in cineres convertit. Salvator noster Apostolos, de quibus sancta Mater Ecclesia canit : « Vos sancti justii iudices, » de quibus celestis ipsorum Magister, *Matth.*, xix, 28, pariter dicit : *Sedebitis super sedes judicantes*, lucis titulo exornat, dum ait ad illos, *Matth.*, v, 45 : *Vos estis lux mundi*; sicut enim lux in medio situata est planetarum, omnesque ex æquo illuminat, divites non magis quam pauperes, suosque radios tam super fertilem et fecundam, quam super sterilem et incultam terram extendit, *Matth.*, v, 45 : *Solem suum oriri facit super bonos et malos*, eodem modo per hæc similitudinem erudire nos voluit, ut ii, quibus judicium commissum est, justitiam omnibus indifferenter et æqualiter administrent sine ulla personarum distinctione aut acceptione.

5. — S. Thomas hæc verba aliam adhibet interpretationem, qua Judicibus diligens et sollicitum recommendat causarum ipsis expositorum examen : « Dicatur autem quis, » inquit, « judicare, secundum faciem, dum non attentis meritis

« cause iudicium profert, nam Iudex iudicat se-
« cundum allegata. I Reg., xvi, 7. Homines vident
« ea, quae apparent; sed in hoc potest esse decep-
« tio, et ideo dicit: *Nolite iudicare secundum faci-*
« *ciem*, id est, secundum illud quod statim appareat,
« sed diligenter inquire. »

VERSUS 25.

*Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis: Nonne hic
est quem quaerunt interficere?*

1. — Toletus considerat, quod quia hi Jeroso-
lymis continuo debebant, conjuratiōis, quam Prin-
cipes synagogae, Scribae item et Pharisei adversus
Dominum machinabantur, meliorem et faciliorem
aliis notitiam habere poterant. Adhuc Evangelista
magnam illorum perversitatem exprimere voluit:
« Similiter etiam ut et in hoc duritiam et incredu-
« litatem Iudaeorum, qui de Juda erant, ostende-
« ret; hi enim omnium maxime increduli et in-
« fensi contra Christum fuerunt, qui ad finem
« promptiores, et ad Christum recipiendum par-
« tiores esse debebant; de eorum enim tribu se-
« cundum carnem Christus futurus erat. » Albertus
Magnus de iisdem ita scribit: « Et facta plus aliis
« viderant, et Phariseos plus aliis audierant, et
« ideo quaerentes, et dubitantes vacillabant; » et
« enim ex una parte motiva in Christum credendi
« habebant, ex alia vero Phariseorum et Principum
« timore anxii coercerantur; » « Facta Christi eos in-
« ducebant ad fidem, et edicta persuasiones Iudaeo-
« rum a fide avertabant, et ideo vacillabant. »
Chrysostomus autem, *Hom. xlix in Joan.*, caecita-
tem ipsorum hisce verbis deplorat: « Cur ex Jer-
« solymitanis dixit? ut ostenderet Evangelista, quod
« qui multa et magna viderant miracula, hi mise-
« rabiliores erant; qui maximum divinitatis signum
« acceperant, perditorum Principum iudicium se-
« quebantur; » multi etenim se a potentatibus
mundi huius a via Dei seduci permittunt; Magnates
enim non solum in hac vita sed etiam in altera,
dum ad infernum abeunt, magno sunt communiter
comitatu et societate plurium stipati; siquidem
pessimum illorum exemplum et auctoritas, spes
autem et fiducia, quam homines pauperes in eor-
um potentia, et praecellenti dignitate et eminentia
repositam habent, innumeros in eorundem socie-
tate constitutos, enormiter prevaricari et peccare
facit; at vero congrue de illis dici potest, *Ps.*
cxviii, 12: Sicut lumen eorum, sic et tenebrae;
quia tametsi ex tribu Juda progeniti, sanctitatis
item, miraculorum, optimorumque Christi exem-
plorum oculati testes, suarumque praedicationum
continui auctores essent, attamen eorum multi
inimicorum ejus partibus sese jungere non dubi-
tarunt.

Nonne hic est quem quaerunt interficere?

2. — Tritum et usitatum est omnibus pro-
verbium, quo mendacium alterutro breviori pede
claudicare dicitur. Salmeron ait: « Ecce quam cito
« dprehensum est mendacium; prius dixerant:
« *Quis te quaerit interficere?* et nunc fatentur. *Nonne*
« *hic est quem quaerunt*, scilicet Principes, *interf-*
« *icere?* » Enimvero nisi forte a praecedentibus dis-
tincti fuerint et diversi, manifeste sibi contradicere
convincentur: « Mendacium dicitur regi non po-
« test, nec prolixius delitescere, quam in clauda
« ambulante vitium claudicationis. »

3. — Mirabantur etenim Jerosolymitani, prout
Toletus observat, miram illam in Principibus syna-
gogae factam mutationem, qua factum est, ut ipsum
jam in publico sine ullo metu aut formidine loqui
et conversari permitterent, cujus vite antea tot
tamque varias insidias struxerant: « Nunc libere
« loquatur, et reprehensione in eos utatur, seque
« defendat, et nemo non solum manum in eum
« mittat, sed nec verbo contradicat; » et tamen ut
Euthymius scribit, in illa auditorum frequentia
multi praesentes aderant, qui in necem ei inferen-
dam inter se conjuraverant.

VERSUS 26.

*Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt, num-
quid vere cognoverunt Principes, quia hic est
Christus?*

Et ecce palam loquitur.

1. — Lucas Brugensis ait: « Publice, libere,
« constanter, audacter docet populum, se defendit,
« principes injustitiae arguit; » ac proinde quod
Salvator noster paucis praecipue dictis ante festi-
vitatem sese absconderit, et ab oculis hominum
subdulerit, id nullo modo ex metu fecit, sed po-
tius, ut Jansenius ait: « Infirmis humanae a se
« susceptae demonstratio fuit; mansuetudinis item
« et modestiae exemplum, dum noluit livorem Pha-
« riseorum, nihil praeter occidendi occasionem
« captantium, magis sua praesentia in principio
« exhibita provocari; quod vero postea prodit,
« divinae potestatis demonstratio fuit, cum non au-
« derent, nec possent in illum conjicere manus,
« licet quidam dudum id perficere staterant. »
S. Thomas quoque Redemptorem divinitatis suae
specimen edere voluisse existimat, in publico sine
ullo metu aut trepidatione coram omnibus com-
pendo: « Ut ostenderet suae divinitatis personam,
« publice docet in templo, et a persequentibus
« teneri non potest; et sic, ut ait Augustinus, ap-
« paret potestas, quae putabatur timiditas. »

Et nihil ei dicunt.

2. — Porro tametsi se ab iis ad mortem quaeri

non ignoraret, a sua tamen praedicatione desiste-
tere noluit, furorem illorum et impetum coerendo,
ne fractum impediret bonorum. Jansenius ait:
« Propter eos, quos sciebat sua doctrina profectu-
« ros ad salutem, atque ut se ostenderet salutis
« hominum, et gloriae paterna adeo cupidum
« fuisse, ut ob eam non metueret aliquam homi-
« num vim. »
3. — S. Thomas, in *Joan.*, ait: « *Nihil ei dicunt;*
« quasi repressi virtute divina, haec est enim pro-
« pria Dei virtus, quod malorum corda ab impetu
« suae malitiae reprimat. »

*Numquid vere cognoverunt Principes, quia hic est
Christus?*

4. — Cum enim illis prospectum esset, quanta
eum rabie et aviditate ad mortem illius anhelarent,
capere minime volebant, qua ratione nunc erga
eum adeo miles essent, ut sine ulla eum contradic-
tione audirent et non potius manus in illum conji-
cerent: « Crediderunt fortius, » inquit Lyranus,
« ipsum esse Christum, trahentes argumentum ex
« facto Principum, qui non capiebant eum, eum
« tamen prius ad mortem quaerere eum, quasi
« ipsi de novo haberent notitiam, quod ipse esset
« vere Christus eis promissus, et ideo ab ejus perse-
« cutioe cessasset. » Hugo Cardinalis errorem
ipsorum, quo obnoxii erant, his verbis manifestat:
« Et nondum plene intelligentes ejus esse po-
« tentiam, putant esse scientiam Principum, quia
« cognoverunt eum esse Christum. » Eandem Toleti
opinionem S. Thomas quoque his verbis allegat:
« Vera hujus causa divinitatis Christi virtus ac
« potentia, quae adversarios ita reprimebat, quando
« ei placitum erat, ut obmutescere eos faceret. »
5. — Idem quoque dictionem hanc, *vere*, consi-
derans dicit: « Ut insinuaret eos tractasse et in
« controversiam vertisse, an esset Christus; at jam
« veritatem resolutam novisse et assecutos fuisse. »
Lyranus autem ad id se reflectit, quod Jerosolymita-
ni illi, qui de eo controvertebant, mox subjunxe-
runt, dicentes: « *Sed hunc scimus unde sit*, etc.
« Verumtamen, quia non habebant certitudinem,
« sed tantum opinionem, ideo etiam arguebant ad
« contrarium. »

VERSUS 27.

*Sed hunc scimus unde sit; Christus autem cum
e venerit, nemo scit, unde sit.*

Sed hunc scimus unde sit.

1. — Nimirum, ut S. Thomas scribit, hunc in
modum argumentabatur: Filius originem et nati-
vitalitatem occultam, nullique manifestam habere
debet; at vero ubi hic natus sit, constat nobis;
verumtamen male argumentabatur, quia tametsi
verum sit, quod in Isaia, xxxv, 8, divinum effatur

oraclum, dicens: *Generationem ejus quis enarrabit?*
hoc tamen de divina intelligebatur generatione,
cum tamen alia Prophetarum vaticinia nativitatem
ejus secundum carnem in tempore futuram respi-
cerent. « Vide malitiam, » inquit Theophylactus,
« quomodo et illi sibi adversarii sint. » Quando
Sacerdotes, Scribae et alii synagogae Principes, ab
Herode de Messia fuerunt interrogati, nativitatem
ejus conformiter ad Prophetarum vaticinia in
Bethlehem futuram esse responderunt; hi vero
locum et modum nativitatis ejus ignotum esse
asserunt, in hoc eodem *cap. vii, 42*, S. Joannis,
unde praesens desumptum est Evangelium eosdem
expresse dixisse legimus: *Nonne Scriptura dicit,*
quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi
erat David, venit Christus? At vero, ut Euthymius
ait: « Malitia non intelligit, quod sibi ipsi contra-
« dicat, ac plene mentitur; est enim quedam
« animae ebrietas. »

2. — Ingeniosam quamdam circa haec verba
considerationem Toletus his verbis adducit: « Jam
« rem eo deductam esse fateatur, ut si nescirent,
« unde iste esset, Christum esse recipient et con-
« sentirent; ignorantiam miseri homines ad Chris-
« tum recipiendum quaerunt, nescire oportet, in-
« quunt, unde sit, quod verus sit Christus. » Lucas
Brugensis hunc in vulgo conceptum sive fabulam
radicatum fuisse refert, quod Christus subito, ut in
Bethlehem natus esset, in secretas regiones longin-
quas transportandum foret, ubi post sui educationem
subito in virum perfectum exeresceret, mundoque,
imo et suismet progenitoribus ignotus subito com-
pareret, atque ideo forsitan dicebant:

Christus cum venerit, nemo scit, unde sit.

3. — S. Augustinus, *tract. xxxi in Joan.*, ipsos
hoc in vigore prophetiae Isaiae, lv, 8, dixisse dicit,
in qua ita habetur: *Generationem ejus quis enarra-
bit?* At vero, inquit idem sanctus Doctor, Christus
ipsis eo modo respondit, ut confusi et penitus con-
victi permanserint: « Ad utrumque respondet et
« quia novaverunt eum unde esset, et quia non nove-
« rant, ut attestaretur prophetia sancta, quia de
« illo ante praedicta est, et secundum humanitatem
« infirmitatis, et secundum divinitatem majesta-
« tis. »

VERSUS 28.

*Clamabat ergo Jesus in templo docens, et dicens:
Et me scitis, et unde sim scitis, et a meipso non
veni, sed est verus qui misit me.*

Clamabat ergo Jesus in templo docens.

1. — Querit hoc loco S. Bonaventura, quomodo
id esse potuerit, cum hic clamor vaticinio prophe-
tico, *Isa., xlii, 2*, omnino contrarius existat, in quo
dicitur: *Non clamabit; neque audietur foris vox ejus.*

Et respondet: « Loquitur ibi de clamore contentionis. » Unde Glossa in hunc locum dicit: « Non clamabit mitis et mansuetus; hic vero loquitur de clamore et prædicationis et doctrinae: *Sapientia foris clamavit*, et patet ipsius ad prædicandum affectuositas, quia clamabat. » Albertus Magnus ait: « Clamor Jesu notat intensionem intentionis ad persuadendum, notat etiam quod audientes longe erant ab intellectu veritatis. » S. Antonius de Padua illum clamasse dicit, quia surdi erant. Magis tamen litteralis sensus est, quod ideo Christus vocem suam extulerit, ut audiretur ab omnibus; credibile namque est, quod conjurationes et consilia sua detecta esse videntes, ira et furore perciti et in rabiem acti, magnarum inter se murmurationum strepitum excitarent. Lucas Brugensis ait: « Ut ab omnibus audiretur, etiam ab iis, qui procul starent, ac præsertim Jerosolymitanis illis, quorum murmuratio tacite opponitur clamor Jesu. » Jansenius Salvalorem voce magis sonora verba, quæ statim subjunguntur, audiri voluisse dicit: « Forte ideo; quia aliquantulum ab ipso, ut verisimile est, abfuerint illi clamatores, vel certe ut ita pondus majus suis verbis adderet. »

2. — Toletus diversam a prædictis rationem assignat, dicens: « Non sine magna causa Christus clamavit, cum enim videret illos omnia, quæ Christus futurus erat de ipso, confiteri, hoc uno autem impediri, quia sciret unde esset, propterea clamavit, quasi victoriam ex se reportans. »

Docens, et dicens: Et me scitis, et unde sim scitis, et a meipso non veni, etc.

3. — S. Augustinus ait: « Hoc est dicere: Et scitis et me nescitis, unde sim scitis, Jesus a Nazareth, cujus etiam parentes nostis, secundum carnem et effigiem hominis, quam gerebat: secundum autem divinitatem et a meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis; sed ut eum sciat, credite in eum quem misit et scietis: *Deum enim nemo vidit unquam, nisi unigenitum, qui est in simi Patris, ipse narravit.* »

4. — S. Thomas ait: « *Et me scitis, scilicet corporaliter.* » *Baruch.*, III, 38: *Post hæc in terris visus est*; sciebant enim quod ex Maria in Bethlehemi natus et in Nazareth nutritus et educatus esset: « Sed nesciebant Virginis partum et quod per Spiritum Sanctum conceptum esset. » Cajetanus ait: « Hoc est, per Scripturam, et opera, et testimonia Joannis scire potestis; et unde sim scitis, quia hoc Scriptura etiam declarat. » Jansenius quoque verba hæc in pariformi sensu exponit, dicens: « Alii sic intelligent, si modo verum fateri velitis, scitis quidem me, quod sim Messias et quod a Deo processit, aut merito scire deberetis, id enim vobis testantur Scripturæ, Joannes, Pater, ac opera. »

5. — Toletus Chrysostomum, *Hom.* XLIX, adducit ita scribentem: « Christi verba esse affirmantis, illos vere scire eum esse Christum et a Deo missum; quod si postea, dicitur: *nescitis*, id est, quia operibus et verbis negabant. » Glit pariter S. Justinum Martyrem, qui in explicatione *Genes.*, quæst. cxi., notat: « Ignorantiam voluntariam interdum scientiam dici; » in cuius probationem textum illum Evangelii adducit, ubi dicitur: « *Me scitis, et unde sim, scitis* id est, scire potestis ex tot signis et doctrinis a me dictis et factis. »

6. — Observandum illos paulo ante dixisse, quod scirent ubi natus esset: *Hunc scimus unde sit.* Cum igitur locus nativitatis suæ ipsis notus fuerit, ex sacra Scripturæ, vaticiniorumque prophetarum diligentem pervolutione facile in ejus poterant devenire cognitionem, quod verus Messias in lege promissus esset.

Et a meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis.

7. — Quasi dicit, inquit S. Thomas: « Ante fui secundum divinitatem, quam in mundum veni rem per humanitatem, alias non conveniret ei venire, nisi ante fuisset et tamen hoc ipsum quod veni, non veni a meipso, quia filius non est a se, sed a patre. » Porro Aeterni Patris suo æternitatem titulum attribuit: « *Sed est verus qui misit me*; » quasi dicit: Non aliunde veni, sed ab eo qui promisit et promissum adimplevit. » Id est, incarnationem Filii ad hominem redimendum perfici curavit. Unde et Apostolus, *Rom.*, III, 4, ait: *Est autem Deus verax et ideo docet me veritatem loqui.* Qui discursus merus est Angelici Doctoris.

8. — Theophylactus per hæc verba duas in Christo naturas clare et perspicue denotari dicit: « Per hoc enim quod ait: *Ab ipso sum*, substantia divina declaratur; cum vero ait: *Et ille misit me*, humana, secundum enim humanam naturam missus dicitur. »

9. — Chrysostomus verba illa Christi: *Si me sciretis et Patrem meum sciretis*, mente recolens dicit: « Quomodo ergo dicit se a Judeis sciri, et unde sit? et iterum: *Neque se, neque Patrem ab iisdem sciri?* Num contraria loquitur? Absit; sed valde sibi, constat; alteram autem dicit scientiam, dicendo: *Nescitis?* quemadmodum cum dicit: *Filii Heli, filii Bethul, nescientes Dominum*; » et Paulus: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*; stat igitur, ut qui sciat, nesciat. »

10. — S. Bonaventura Christum his verbis dicere voluisse asserit, Judæos ejus quidem nativitatem et in Nazareth educationem scivisse, modum tamen, quo genitus aut educatus fuit, ignorasse: « Ipse enim erat filius Virginis, quod ipsi ignorabant. »

VERSUS 29.

Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit.

1. — In S. Mattheo, XI, 27, Redemptor noster dixisse legitur: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.* Albertus Magnus verba hæc ita exponit: « *Ego scio eum*: scientia comprehensionis novi Patrem, qui me misit. *Joan.*, X, 15: *Sicut novit me Pater et ego agnosco Patrem.* »

2. — Beda Christum ipsos modum docere voluisse notat, quod in æterni Patris sui possent devenire notitiam: « Ergo a me quaerit ut sciat eum. »

3. — S. Thomas hæc scientiam in summo perfectionis apice constitutam fuisse dicit: « *Ego scio eum*, quantum cognoscibilis est. Et ratio est, quia ab ipso sum: Si vultis notitiam ejus, qui me misit, habere, oportet, quod habeatis a me, quia ego solus scio eum. »

VERSUS 30.

Quærebant ergo eum apprehendere, et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.

Quærebant ergo eum apprehendere.

1. — Salmeron Scribas et Phariseos hic se de novo mendaces esse probat; siquidem cum antea se excusassent, dicendo: *Quis te quaerit interficere?* nunc eum ad mortem inferendam, in vincula conjicere conati fuere: « Non defuit ergo voluntas, sed executio. » Ad id, ut Hugo Cardinalis ait: « Irritati per hoc, quod dixerat, quod nesciebant Patrem. » Enimvero tametsi in aliis pluribus occasionibus a Christo reprehensi fuissent, in verba tamen adeo aspera et contumeliosa nunquam properarunt; unde clare videtur, quantum aliquem offendat et ad iracundiam provocet, si quis rudis ab aliis habeatur et ignorans, maxime in rebus ad cultum Dei et religionem spectantibus. Unde Euthymius ait: « Egrediebantur dicentem, quod vos me nescitis. »

2. — Albertus Magnus hic ait: « Tangit qualiter in pejus invidi ex verbis salutis proficiebant; » ac proinde Toletus quoque hunc in modum scribit: « Unde debuerunt converti a malitia et cæcitate ad fidem et amorem, inde argumentum obdurationis et multiplicandi sceleris sumunt. » Causa etenim, ob quam adversus eum adeo atrociter ferociebant, prout ex eodem Toletio habemus, erat quia se verum Dei Filium et promissum Messiam esse declaraverat: « Ea de causa, quibus exosus erat, apprehendere eum quærebant, sicut *Joan.*, V, 18, dictum est: *Propterea magis quærebant eum interficere, quia patrem suum dicebat Deum.* »

3. — S. Thomas ait: « Proponebant eum apprehendere ad crucifigendum et occidendum, secun-

« dum illud *Psalm.* LXX, 11: *Persequimini et comprehendite eum.* Sunt tamen aliqui, qui Christum in se habentes, quaerunt tamen pie apprehendere. » *Ad Philipp.*, III, 12: *Quæram si quo modo apprehendam.* »

4. — Porro quoniam illi fuerunt, qui Christum vinculum abducere volebant, S. Chrysostomus sub distinctione declarat; dicit enim: « Quinam? Non multitudo, quæ non affectabat principatum, neque que capiebatur invidia, sed sacerdotes. »

Nemo tamen misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.

5. — S. Thomas hic ait: « Invisibiliter enim eorum furor refranatus est et repressus; per quod patet, quod voluntas nocendi est unicuique a se, sed nocendi potestas a Deo. »

6. — S. Augustinus, *tr.* xxxi in *Joan.*, rationem, quam S. Joannes hac de re his verbis reddit: *Quia nondum venerat hora ejus*, ponderans, dicit: « Si tua hora voluntas est illius, illius hora quæ est, nisi voluntas tua? Non ergo horam dixit, quæ cogere mori, sed quæ dignaretur occidi. » Cui etiam S. Bonaventura adhaeret, dicens: « Ut novaris non necessitatem, sed potestatem morientis. » Unde Lucas Brugensis ait: « Hora ejus, quam ipse elegerat. »

VERSUS 31.

De turba autem multi crederunt in eum.

1. — « Quo notatum est, » inquit Jansenius, « quemadmodum alias frequenter infirma et stulta mundi eligere voluisset, ut confunderet fortes et sapientes; et simpliciores, eo quod ab invidia et ambitione essent liberi, capaciosius fuisse doctrinam Christi et fidei in eum, quam doctiores et eos qui apud mundum magni erant nominis. » Toletus illos ingenti cum affectu credidisse notat, prouti verba subsequenter perspicue satis demonstrant: « Tanto affectu crederunt, ut fidem in mente conceptam occultare non valerent, sed in confessionem oris proumpserunt et dicerent quæ sequuntur. » Idem quoque Auctor differentiam ponderat affectuum quos Christi prædicatio in hisce et in aliis operata fuit; dicit enim: « Uno ergo verbo Christi et hi convertuntur, et illi obdurantur; sed quod convertantur, virtus est « verbi; quod obdurantur, vitium est audientium. » Nimirum eadem lux sanos perspicue videre facit, idque virtute et operatione sua, quod vero infirmos oculos offuscet, ab eorumdem indispotione derivatur. »

2. — Merito Christus lamentari potest dicendo: *Extraneus factus sum fratribus meis*; siquidem Lucas Brugensis, quinam illi fuerint, declarat dicit: « Eorum, qui foris advennerant ad festum, Jerosolymitani de Messia alienati fuerant, extra-

« nei Jesum esse Messiam ex miraculorum multitudinem adstruunt. »

3. — Albertus Magnus Chrysostomi auctoritatem adducens ait : « Crediderunt, non tamen fide firma et certa, » quia de Christo tanquam Messia, non animose, sed quadam cum perplexitate loquebantur : « Sed tamen aliquem calorem fidei et devotionis conceperant, qui si fuisset fortis a Phariseis et Sacerdotibus convulsisset. » Hugo Cardinalis inquit : « Intuere quantum est humilitatis verborum lucrum, quia dixerat humiliter : *Ab ipso sum et ipse me misit.* » Cajetanus hoc loco bene considerat quod verbum Dei nunquam affectu suo frustretur aut fallat : « Quamvis pertinaces fuerunt Judei, non tamen infructuosa fuit Christi doctrina tunc, quoniam multi de turba crediderunt in illum. » Glossa Interlinearis ait : « Prædica-

« tione et miraculis moti, simpliciter credunt, et verba et facta Domini glorificant. »

4. — S. Thomas Christum hic de turbis, non vero de Principibus et Sacerdotibus loqui advertit ; dicit enim : « Quanto majores erant, tanto magis erant elongati, et ideo in eis sapientia locum non habebat ; quia ut dicitur *Prov.*, xi, 2 : *Ubi humilitas, tibi sapientia.* Turba autem, quia suam agritudinem cito vidit, Domini medicinam sine dilatione cognovit. *Matth.*, xi, 25 : *Abcondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Et propter hoc in principio humiles et pauperes conversi sunt ad Christum. »

5. — S. Augustinus de populi illius Principibus ita scribit : « Insaniebant, et ideo Medicum non solum non agnoscebant, sed etiam occidere cupiebant. »

FERIA QUARTA POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. IX, VERS. 1

1. Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate.
2. Et interrogavit eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur ?
3. Respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.
4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est ; venit nox, quando nemo potest operari.
5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.
6. Hæc cum dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus.
7. Et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur, Missus. Abiit ergo, et lavit, et venit videns.
8. Itaque vicini, et qui viderant eum prius, quia mendiculus erat, dicebant : Nonne hic est qui sedebat, et mendicabat ? Alii dicebant, quia hic est.
9. Alii autem : Nequaquam, sed similis est ei ; ille vero dicebat : Quia ego sum.
10. Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt tibi oculi ?
11. Respondit ille : Homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi : Vade ad natatoria Siloe, et lava ; et abii, lavi, et video.
12. Et dixerunt ei : Ubi est ille ? Ait : Nescio.
13. Adducunt eum ad Phariseos, qui cæcus fuerat.
14. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus.
15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisei, quomodo vidisset ? Ille autem dixit eis : Lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et video.
16. Dicebant ergo ex Phariseis quidam : Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant, quomodo potest homo peccator hæc signa facere ? Et schisma erat inter eos.
17. Dicant ergo cæco iterum : Tu quid dicis de eo, qui aperuit oculos tuos ? Ille autem dixit : Quia Propheta est.

18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat ; et interrogaverunt eos, dicentes.
19. Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est, quomodo ergo nunc videt ?
20. Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt : Scimus quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est.
21. Quomodo autem nunc videat nescimus, aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus ; ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur.
22. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos : jam enim conspiraverant Judæi, ut, si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.
23. Propterea parentes ejus dixerunt : Quia ætatem habet, ipsum interrogate.
24. Vocaverunt ergo rursus hominem, qui fuerat cæcus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est.
25. Dixit ergo eis ille : Si peccator est, nescio ; unum scio, quia cæcus cum essem, modo video.
26. Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi ? Quomodo aperuit tibi oculos ?
27. Respondit eis : Dixi vobis jam, et audistis ; quid iterum vultis audire ? Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri ?
28. Maledixerunt ergo ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus.
29. Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus ; hunc autem nescimus, unde sit.
30. Respondit ille homo, et dixit eis : In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis, unde sit, et aperuit mihi oculos.
31. Scimus autem quia peccatores Deus non audit ; sed si quis Dei cultor est et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.
32. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati : nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.
33. Responderunt, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus, et tu doces nos ? Et ejecerunt eum foras.
34. Audivit Jesus, quia ejecerunt eum foras ; et cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei ?
35. Respondit ille, et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum ? Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.
36. At ille ait : Credo, Domine ; et procidens adoravit eum.

Versus 1.

Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate.

Et præteriens Jesus.

1. — De Salvatore nostro in Actis Apostolorum, x, 38, scribitur : *Unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes.* Ubi Chrysologus, *Serm.* xvi, ait : « Christus quod loca circuit, quod maria transtretat, non est res humani desiderii, causa est humane salutis. » Nimirum exemplo suo ad compassionem movere nos voluit, ut videlicet dum in miserabilem aliquem hominem incidimus gressum nostrum sistamus, ad hoc ut ei ope et subsidio nostro subvenire possimus ;

unde S. Ambrosius, *epist.* lxxv, ait : « Ergo nec nos præterire debemus, quem Dominus præter eundem non putavit. »

2. — Valde considerabilis est illa temporis circumstantia, in qua Salvator miraculum istud operatus fuit. Etenim S. Joannes, *cap.* viii, in fine, ut Salmeron, *tract.* xxxix in *Joan.*, 8, advertit, dicit Judæos post diuturnam in templo Salvatorem inter et ipsos habitam disputationem, se confusos et convictos videntes, saxa arripuisse, ut eum eisdem impeterent, Salvator autem iræ et furori ipsorum cedere volens, sese abscondit, et e templo sese proripuit : « In quo egressu hoc signum tam magnum et evidens sue deitatis testimonium operatus est ; atque hic lapis fortissimus fuit, quo Dominus Phariseorum fortissime percussit frontem. » At